



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De ministris baptismatis. Quæstio 67.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

ptismo sanguinis, per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquæ, per quamdam virtutem latentem: in baptismo autem pœnitentiæ, per cordis commotionem: sed in baptismo sanguinis, per potissimum dilectionis feruorem, secundum illud Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Ad primum ergo dicendum, quòd character est res & sacramentum. Non autem dicimus quòd baptisimus sanguinis, pœnitentiam habeat secundum rationem sacramenti: sed quantum ad sacramenti effectum.

Ad secundum dicendum, quòd effusio sanguinis non habet rationem baptisimi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quòd baptisimus sanguinis includit baptisimum flaminis, & non è conuerso. Vnde ex hoc ipso probatur * perfectior.

Ad tertium dicendum, quòd baptisimus sanguinis præminentiam habet, non solum ex parte passionis Christi, sed etiam ex parte Spiritus sancti, vt dictum est*.

*c. 3. eccl.
hier. p. 2.
c. 3.
In corp.
ar.*

QVÆST. LXVII.

De ministris, per quos traditur baptisimi sacramentum, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de ministris, per quos traditur sacramentum baptisimi.

- ¶ Et circa hoc quærentur octo.
- ¶ Primo, vtrum ad diaconum pertineat baptizare?
- ¶ Secundo, vtrum pertineat ad presbyterum, vel solum ad episcopum?
- ¶ Tertio, vtrum laicus possit sacramentum baptisimi conferre?
- ¶ Quarto, vtrum hoc possit facere mulier?
- ¶ Quinto, vtrum non baptizatus possit baptizare?
- ¶ Sexto, vtrum plures possint simul baptizare vnus & eundem?

¶ Septimo, vtrum necesse sit aliquem esse qui baptizatum de sacro fonte recipiat?

¶ Octavo, vtrum suscipiens aliquem de sacro fonte, obligetur ad eius instructionem?

ARTIC. I.

Vtrum ad officium diaconi pertineat baptizare?

376

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd ad officium diaconi pertineat baptizare. Simul enim iniungitur à Domino officium prædicandi Euangelium, & baptizandi, secundum illud Matth. vii. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Sed ad officium diaconi pertinet euangelizare. Ergo videtur, quòd etiam ad officium diaconi pertineat baptizare.

¶ 2 Præterea, Secundum Dionys. 5 cap. eccl. hierar. * purgare pertinet ad officium diaconi. Sed purgatio à peccatis maximè fit per baptismum, secundum illud Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat ad diaconum.

¶ 3 Præterea, De beato Laurentio legitur, quòd cum ipse esset diaconus, plurimos baptizabat. Ergo videtur, quòd ad diaconos pertineat baptizare.

SED contra est, quod Gelas. * Papa dicit, & habetur in Decr. 93. distin. † Diaconos propriam constitutum obseruare mensuram. & infra, Absque Episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis ordinibus fortasse longius constitutis, necessitas extrema compellat.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut cælestium ordinum proprietates, & eorum officia eorum nominibus accipiuntur (vt Dionys. dicit * 7. cælest. hierar.) ita etiam ex nominibus ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad vnumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem diaconi, quasi ministri †: quia videlicet ad diaconos non pertinet ali-

4. d. 5. q.

2. a. 1. q.

2. q. d. 7.

q. 3. ar. 1.

q. 1. co. q.

d. 13. q. 1.

ar. 5. q. 2.

sor.

c. 5. in p.

1. a. med.

vsque ad

fin. illius

partis.

Gelas. l. 1.

ep. ad E-

pisc. per

Lucaniam,

c. 9.

† d. 93. c.

13. Dia-

conos.

c. 7. cæl.

hierar. in

princ. q.

c. 8. circa

princ.

decr. dif.

93. c. 17.

aliquod sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere; sed adhibere ministerium alijs maioribus, in sacramentorum exhibitione. Et sic ad diaconū nō pertinet quasi ex proprio officio tradere sacramentum baptisimi: sed in collatione huius sacramenti & aliorū, assistere & ministrare maioribus. Vnde Isidor. dicit †, Ad diaconū pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, in baptismo scilicet, in chrismate, in patena & ca. ice.

Ad primum ergo dicendum, quod ad diaconum pertinet recitare Euangelium in Ecclesia, & prædicare ipsum per modum catechizantis. Vnde & Dionys. * dicit, quod diaconi habent officium super immundos: inter quos ponit catechumenos. Sed docere, id est, exponere Euangelium, pertinet proprie ad episcopum, cuius actus est perficere, secundum Dionys. † 5. cap. eccl. hierar. Perficere autem idem est quod docere. Vnde non sequitur, quod ad diaconos pertineat officium baptizandi.

Ad secundum dicendum, quod sicut Dionys. dicit * in 2. cap. eccl. hierar. baptismus non solum habet purgatiuam, sed etiam illuminatiuam virtutem. Et ideo excedit officium diaconi, ad quem pertinet solum purgare, scilicet vel repellendo immundos, vel disponendo eos ad sacramenti susceptionem.

Ad tertium dicendum, quod quia baptismus est sacramentum necessitatis, permittitur diaconibus necessitate urgente in absentia maiorum baptizare; sicut patet ex auctoritate Gelasij † supra inductæ. Et hoc modo beatus Laurentius diaconus existens, baptizauit.

ARTIC. II.

Utrum baptizare pertineat ad officium presbyterorum?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod baptizare non pertineat ad officium presbyterorum, sed solum episcoporum. Quia (sicut dictum est) I 4 est)

*habetur
dec. d. 25.
ca. Perle-
dis. Et di-
citur esse
in ep. ad
Ludifre-
dum.
c. 3. eccl.
hier. p. 2.
c. 3.
c. 5. in ti.
do sacer.
perfect.*

*c. 2. p. 1.
c. 2.*

*In argu.
sed contra.*

*377
4. d. 5. q.
2. a. 1. q. 2
et d. 7. q.
3. a. 1. q.
3. c. c. d.
17. q. 3. a.
3. q. 2. c.
c. d. 24.
q. 2. a. 2.
ad 1.*

9. præ a. est *) sub eodem præcepto iniungitur Matth. ult. officium docendi & baptizandi . Sed docere, quod est perficere , pertinet ad officium episcopi : ut patet per Dionys. 5. & 6. cap. ecclesiast. hierarch. † Ergo & baptizare pertinet tantum ad officium episcopi .

¶ 2 Præterea , Per baptismum annumeratur aliquis populo Christiano : quod quidem videtur ad officium solius principis pertinere : Sed principatum in ecclesia tenent episcopi: qui, ut dicitur in gl.* Luc. 10. tenent locum Apostolorum : de quibus dicitur in Psal. 44. Constitues eos principes super omnem terram. Ergo videtur, quòd baptizare pertineat solum ad officium episcopi .

¶ 3 Præterea, Isidor. dicit †, quòd ad episcopum pertinet basilicarum consecratio , unctio altaris , & consecratio chrisimatis ; ipse ordines ecclesiasticos distribuit , & sacras virgines benedicit . Sed his omnibus maius est sacramentum baptismi . Ergo videtur , quòd multo magis ad officium solius episcopi pertineat baptizare .

SED contra est , quòd Isidorus dicit * in lib. de officijs , Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum .

RESPONDEO dicendum , quòd sacerdotes ad hoc consecrantur, ut sacramentum corporis Christi conficiant , sicut supra dictum est * . Illud autem est sacramentum ecclesiasticæ unitatis, secundum illud Apostoli 1. Cor. 10. Vnus panis & vnum corpus multi sumus omnes , qui de vno pane & de vno calice participamus . Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticæ unitatis, unde & accipit ius ad mensam Domini accedendi . Et idè sicut ad sacerdotem pertinet cōsecrare eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur), ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare . Eiusdem enim videtur esse operari totum, & partem in toto disponere .

Ad primum ergo dicendum, quod utrumque officium, scilicet docendi, & baptizandi, Dominus Apostolis iniunxit, quorum vicem gerunt Episcopi: aliter tamen & aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tamquam principalissimum: unde & ipsi Apostoli dixerunt Act. 6. Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde & Apostolus dicit 1. Corinth. 1. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Et hoc ideo: quia in baptizando nihil operatur meritum & sapientia ministri, sicut in docendo, ut patet ex supradictis. In cuius etiam signum nec ipse Dominus baptizavit, sed discipuli eius, ut dicitur Io. quarto. Nec tamen per hoc excluditur, quin Episcopi possint baptizare: quia quod potest potestas inferior, potest & superior. Unde & Aristotol. ibidem dicit se quosdam baptizasse.

* id hęc
gl. Tyranni super
eum loquē
Apo.
* q. 64. a.
5. 6. & 9

Ad secundum dicendum, quod in qualibet republica, ea quæ sunt minora, pertinent ad minora officia, maiora verò maioribus referuntur: secundum illud Exod. 18. Quicquid maius fuerit, referant ad te, & ipsi tantummodo minora iudicent. Et ideo ad minores civitatis principes pertinet disponere de infimo populo: ad summos autem principes pertinet disponere ea, quæ pertinent ad maiores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis, nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes ecclesiæ, id est ad presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi: ut dicit gl. * Lucæ 10.

est gl. or.
ibi. ex Be.
loco cit.
in arg.
* q. 6. n.
3. ad 4.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum est) sacramentum baptismi est potissimum necessitate: sed quantum ad perfectionem, sunt quædam alia potiora, quæ Episcopis referuntur.

AR-

Vtrum laicus possit baptizare?

378

2. 2. q. 100 a. 2. ad 1. 4. di. 5. q. 2. a. 1. q. 1. 3. 6. q. 1. a. 3. q. 2. 2. * a. præ. in locis citatis art. præc. in utroque arg. Sed cõt. Et in decr. ibi. cit. & d. 93. c. 13.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd laicus baptizare non possit. Baptizare enim (sicut dictum est *) propriè pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea quæ sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur, quòd laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

¶ 2 Præterea, Maius est baptizare, quam alia sacramentalia baptismi perficere: sicut catechizare, & exorcizare, & aquam baptismalem benedicere. Sed hæc non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus. Ergo videtur, quòd multo minus laici possint baptizare.

¶ 3 Præterea, Sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia. Sed laicus non potest absolueri in foro pœnitentia. Ergo neque potest baptizare.

SED contra est, quod Gelasius Papa, & Isidor. * dicunt, quòd baptizare necessitate imminente, laicis Christianis plerumque conceditur.

RESPONDEO dicendum, quòd ad misericordiam eius, qui vult omnes homines saluos fieri, pertinet vt in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inueniat. Inter omnia autem sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter omnino subueniri non potest, & adulti non possunt aliter, quam per baptismum plenam remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad penam. Et ideò vt homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est vt & materia baptismi sit communis †, scilicet aqua, quæ à quolibet de facili haberi potest; & minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi, homo salutis suæ dispendium patiaur.

† Aliàs, cõmunissima.

Ad primum ergo dicendum, quòd baptizare pertinet

tinet ad ordinem sacerdotalem, secundum quamdam
conuenientiam, & solemnitatem, non autem hoc est
de necessitate sacramenti. Vnde etiam si extra neces-
sitaris articulum laicus baptizet, peccat quidem, ta-
men sacramentum baptismi confert: nec est rebap-
tizandus ille qui sic est baptizatus.

Ad secundum dicendum, quod illa sacramentalia
baptismi pertinent ad solemnitatem, non autem ad
necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debent, nec
possunt a laico: sed solum a sacerdote, cuius est so-
lemniter baptizare.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum
est*) pœnitentia non est tanta necessitatis sicut bap-
tismus. Potest enim per contritionem suppleri de-
fectus sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat à
tota pœna: nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non
est simile de baptismo, cuius effectus per nihil aliud
suppleri potest.

ARTIC. IV.

Virum mulier possit baptizare?

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod mu-
lier non possit baptizare. Legitur enim in Car-
thaginensi Concilio*, quod mulier, quamuis docta
& sancta, viros in conuentu docere, vel aliquos bap-
tizare non præsumat. Sed nullo modo licet mulie-
ri docere in conuentu: secundum illud 1. ad Cor. 14.
Turpe est mulieri in ecclesia loqui. Ergo videtur,
quod nec etiã aliquo modo mulieri liceat baptizare.

¶ 2 Præterea, Baptizare pertinet ad officium
pœlationis: unde a sacerdotibus habentibus curam
animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non po-
test competere mulieri: secundum illud 1. Tim. 2. Do-
cere mulieri non permitto, nec dominari in virum,
sed subditam esse in silentio. Ergo mulier baptizare
non potest.

¶ 3 Præterea, In spiritali regeneratione vide-
tur aqua habere locum materni uteri (vt Aug. † dicit
super illud Io. 3. Numquid homo potest in ventrem
ma-

379
sup. ar. 3.
& loci
ibi indu-
ctis.
* in Cœc.
4. Carth.
c. 99. &
100. &
refertur
de cōf. d.
4. ca. 19.
mulier.
† irac 11.
paulo an
te me. 10.
9. & de
cōf. d. 4. c.
mulier.

matris suæ iterato introire & renasci?): ille autem qui baptizat videtur magis habere patris officium. Sed hoc non competit mulieri. Ergo mulier baptizare non potest.

** Vrb. Vitali presbytero Brixie si scribēs. t 30. q. 3. ca. Super quibus.*

SED contra est, quod Urbanus Papa dicit *, & habetur in Decret. f 30. q. 3. Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur nobis hac sententia respondendum, ut baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Sanctæ Trinitatis baptizauerit.

RESPONDEO dicendum, quod Christus est, qui principaliter baptizat, secundum illud Ioann. 1. Super quem videris Spiritum descendantem, & manentem, hic est qui baptizat. Dicitur autem Coloss. 3. quod in Christo non est masculus & femina. Et idem sicut masculus laicus potest baptizare quasi minister Christi, ita etiam & femina. Quia tamen caput mulieris est vir, & caput viri est Christus (ut dicitur 1. Cor. II.) non debet mulier baptizare, si adsit copia viri: sicut nec laicus presente clerico, nec clericus presente sacerdote, qui tamen potest baptizare presente Episcopo: eo quod hoc pertinet ad officium sacerdotis.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina, vel monitione, aliquem instruere: ita non permittitur ei publice, & solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo.

Ad secundum dicendum, quod quando baptismus solemniter, & ordinarie celebratur, debet aliquis sacramentum baptismi suscipere à presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius. Hoc tamen non requiritur in articulo necessitatis, in quo potest mulier baptizare.

Ad tertium dicendum, quod in generatione carnali masculus & femina operantur secundum virtutem propriæ naturæ: & idem femina non potest esse principium generationis actiuum, sed passiuum tantum. Sed in generatione spirituali neuter operatur in

vir.

virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi: & idem eodem modo potest vir & mulier in casu necessitatis baptizare. Si tamen mulier etiam extra casum necessitatis baptizaret, non esset rebaptizandus: sicut & de laico dictum est*. Peccaret tamen ipsa baptizans, & alij, qui ad hoc cooperarentur, vel baptismum ab ea suscipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo.

ARTIC. V.

Virum non baptizatus, possit sacramentum baptismi conferre?

AD quintum sic proceditur. Videtur quod ille, qui non est baptizatus, non possit sacramentum baptismi conferre. Nullus enim dat quod non habet. Sed non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo non potest ipsum conferre.

¶ 2 Præterea, Sacramentum baptismi confert aliquis, in quantum est minister ecclesie. Sed ille, qui non est baptizatus, nullo modo pertinet ad ecclesiam, scilicet nec re, nec sacramento. Ergo non potest sacramentum baptismi conferre.

¶ 3 Præterea, Maius est sacramentum conferre, quam suscipere. Sed non baptizatus non potest alia sacramenta suscipere. Ergo multo minus potest aliquod sacramentum conferre.

SED contra est, quod Isid. † dicit, Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet Paganus sit qui baptizat. Sed ille qui est baptizatus, non dicitur Paganus. Ergo etiam non baptizatus potest conferre sacramentum baptismi.

RESPONDEO dicendum, quod hanc quæst. Aug. * indeterminatam reliquit. Dicit enim in 2. contra Epist. Parmeniani, Hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab his, qui nunquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est, sine auctoritate tanti concilij † quantum tantæ rei sufficit. Postmodum verò per ecclesiam determinatum est, quod non baptizati

ar. præd.

380

Sup. 2. 3.
Et locis
ibi notatis.

† refertur

1. q. 1. ca.

60. Si quis

per ignorantiam

Et de consec. d. 4. c.

22. Romanus

ius.

* li. 2. c.

13. post

me. 10. 7.

refertur

1. q. 1. c.

98. Item

Aug. de unio. ba-

ptis. contra Petil.

c. 7. 10. 7.

de cons. d.

4. c. 23. A

quodam

Iudæo.

† Alias,

consilij.

zati

zati siue Iudæi siue Pagani, possunt sacramentum baptismi conferre: dummodo in forma ecclesiæ baptizent. Vnde Nicolaus Papa respondet, de consec. dist. 4. ad consulta Bulgar. cap. 3. A quodam, Iudæo nescitis, vtrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos: & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine Sanctæ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent: si autem forma Ecclesiæ non fuerit obseruata, sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendū est, quod Greg. * Secundus scribit Bonifacio Episcopo, Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti (scilicet Ecclesiæ forma non seruata), vt de nouo baptizet in nomine Trinitatis, mandamus. Et huius ratio est: quia sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit quæcumque aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo. Et idè etiam non baptizatus, in articulo necessitatis baptizare potest: vt si duo non baptizati se inuicem baptizarent, dum prius vnus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem; & consequeretur vterque non solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti. Si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, vterque grauer peccaret, scilicet baptizans, & baptizatus: & per hoc impediretur baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quòd homo baptizans adhibet tantummodo ministerium exterius: sed Christus est, qui interius baptizat, qui potest vti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit. Et idè non baptizati possunt baptizare: quia, vt Nicolaus Papa dicit *, Baptismus non est illorum, scilicet baptizantium; sed eius, scilicet Christi.

Ad secundum dicendum, quòd ille, qui non est baptizatus, quamuis non pertineat ad ecclesiam re, vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione & similitudine actus: in quantum scilicet intendit facere quod facit ecclesia, & formam ecclesiæ

** habetur
de conse.
d. 4. cap.
Quos à
paganis.
c. 51. De
iuro.*

*De conse.
d. 4. c. 23.
A quodā
Iudæo, in
pnc.*

fiat seruat in baptizando. Et sic operatur ut ministrer Christi, qui virtutem suam non alligauit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis.

Ad tertium dicendum, quod alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. Et ideo magis conceditur, quod non baptizatus possit baptizare, quam quod possit alia sacramenta suscipere.

ARTIC. VI.

Utrum plures possint simul vnum baptizare?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod plures possint simul vnum baptizare. In multitudine enim continetur vnum, sed non conuertitur. Vnde videtur, quod quicquid potest facere vnus, possint facere multi, & non è conuerso: sicut multi trahunt nauem, quam vnus trahere non posset. Sed vnus homo potest baptizare. Ergo & plures possunt simul vnum baptizare.

381
4 d. 1. a.
2 q. 2. a. 4
1. q. 2. b.
6. q. 2. ar.
1. q. 1. ad 3.

¶ 2 Præterea, Difficilius est, quod vnum agens agat in plura, quam quod plures agentes agant simul in vnum. Sed vnus homo potest simul plures baptizare. Ergo multo magis plures possunt simul vnum baptizare.

¶ 3 Præterea, Baptismus est sacramentum maximæ necessitatis. Sed in aliquo casu videtur esse necessarium, quod plures simul vnum baptizent: puta, si aliquis paruulus esset in articulo mortis, & adessent duo, quorum alter esset mutus, & alter manibus & brachijs careret: tunc enim oporteret quod natus verba proferret, & mutus actum baptismi exerceret. Ergo videtur, quod plures possint simul vnum baptizare.

SED contra est, quod vnus agens est vna actio. Si ergo plures vnum baptizarent, videretur sequi, quod essent plures baptismi: quod est cōtra id quod dicitur Ephes. 4. Vna fides, vnum baptisma.

RESPONDEO dicendum, quod sacramentum baptismi præcipuè habet virtutem ex forma, quam Apostolus nominat verbum vitæ, Ephes. 5. Et ideo considerare

derare oportet, si plures simul vnum baptizarent, qua forma vterentur. Si enim dicerent, Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dicunt quidam, quod non conferretur sacramentum baptismi, eo quod non seruaretur forma Ecclesie, quæ sic habet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed hoc excluditur per formam baptizandi, qua vtitur ecclesia Græcorum: Possent enim dicere, Baptizetur seruus Christi N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c. sub qua forma Græci baptismum suscipiunt: quæ tamen forma multo magis dissimilis est formæ, qua nos vtitur, quam si dicatur, Nos te baptizamus. Sed considerandum est, quod ex tali forma, te baptizamus, exprimitur talis intentio, quod plures conueniant ad vnum baptismum conferendum. Quod quidem videtur esse contra rationem ministerij: homo enim non baptizat, nisi vti minister Christi, & vicem eius gerens. Vnde sicut vnus est Christus, ita oportet esse vnum ministrum, qui Christum representet: propter quod signanter Apost. dicit Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum. Si verò vterque diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: vterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret. Quod posset contingere in eo casu, in quo euentiose vterque aliquem baptizare conaretur. Et tunc manifestum est, quod ille, qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum: alius vero quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret: & si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omnes simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, & nõ de iteratione baptismi: quia vterque intenderet non baptizatum baptizare; & vterque quantum est in se baptizaret. Nec vterque diceret aliud & aliud

aliud sacramentum : sed Christus , qui est vnus , in-
terius baptizans , vnum sacramentum per vtrumque
conferret .

Ad primum ergo dicendum , quòd ratio illa iocum
habet in his , quæ agunt propria virtute . Sed homi-
nes non baptizant propria virtute , sed virtute Chri-
sti : qui cum sit vnus , per vnum ministrum perficit
suum opus .

Ad secundum dicendum , quòd in casu necessitatis
vnus posset simul plures baptizare sub hac forma ,
Ego vos baptizo : puta , si immineret ruina , aut gla-
dius , aut aliquid huiusmodi , quod omnino moram non
pateretur , vt sigillatim omnes baptizarentur . Nec per
hoc diuersificaretur forma ecclesie : quia piurale
non est nisi singulare geminatum , præsertim cum plu-
raliter dicatur Matth. vlt. Baptizantes eos , &c. Nec
est simile de baptizante & baptizato : quia Christus
qui principaliter baptizat , est vnus , sed multi per ba-
ptismum efficiuntur vnus in Christo .

Ad tertium dicendum , quòd (sicut supra dictum
est *) integritas baptismi consistit in forma verbo-
rum , & in vsu materiae . Et ideo neque ille , qui tan-
tum verba profert , baptizat ; neque ille qui immergit .
Et ideo si vnus verba proferat , & alius immergat , nul-
la forma verborum poterit esse conueniens . Neque
enim poterit dici , Ego te baptizo (cum ipse non
immergat , & per consequens non baptizet) : neque
etiam poterit dici , Nos te baptizamus , cum neuter
baptizet . Si enim duo sint , quorum vnus vnam par-
tem libri scribat , & alius aliam , non erit propria lo-
cutio , Nos scripsimus librum istum , sed synecdochica
ca , in quantum totum ponitur pro parte .

q. 66. a. 3
ad 5.

ARTIC. VII.

*Vtrum in baptismo requiratur aliquis qui baptiza-
tum leuet de sacro fonte ?*

AD septimum sic proceditur . Videtur , q̄ in ba-
ptismo non requiratur aliquis , qui baptizatum
de sacro fonte leuet . Baptismus enim noster per
Tertie Partis Vol. ij. K ba-

382
inf. ar. 8.
ad 1.

Baptismum Christi consecratur, & ei conformatur. Sed Christus baptizatus, non est ab aliquo de fonte susceptus: sed sicut dicitur Matth. 3. Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua. Ergo videtur, quod nec in aliorum baptismo requiratur aliquis, qui baptizatum de sacro fonte suscipiat.

ar. 3. huius q.
¶ 2 Præterea, Baptismus est spiritualis regeneratio, ut dictum est*. Sed in carnali generatione non requiritur nisi principium actiuum, quod est pater; & principium passiuum, quod est mater. Igitur cum in baptismo locum patris obtineat ille qui baptizat, locum autem matris, ipsa aqua baptismi: (ut August. dicit* in quodam serm. Epiph.) videtur, quod non requiratur aliquis alius, qui baptizatum de sacro fonte leuet.

in ser. 1. dominica i f. octa. epip. t. 10
¶ 3 Præterea, In sacramentis ecclesiæ nihil derisorium fieri debet. Sed hoc derisorium videtur, quod adulti baptizati, qui seipso sustentare possunt, & de sacro fonte exire, ab alio suscipiantur. Ergo videtur, quod non requiratur aliquis, præcipue in baptismo adultorum, qui baptizatum de sacro fonte leuet.

s. 2. p. 2. decli. ad fin.
S E D contra est, quod Dion. 7 dicit 2. cap. eccl. hierar. quod sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptoris & duci.

RESPONDEO dicendum, quod spiritualis regeneratio, quæ fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Vnde dicitur 1. Petri 2. Sicut modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo, lac concupiscite. In generatione autem carnali paruulus nuper natus, indiget nutrice & pedagogo. Vnde & in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis & pedagogi, informando & instruendo eum, quasi nouitium in fide de his quæ pertinent ad fidem & vitam Christianam. Ad quod pralati ecclesiæ vacare non possunt, circa communem curam populi occupati: paruuli enim & nouitij indigent speciali cura præter communem. Et ideo requiritur, quod aliquis suscipiat

piat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem & tutelam. Et hoc est, quod Dionys. * dicit ultimo capite ecclesiast. hierarch. Diuinis nostris ducibus (id est Apostolis) ad mentem venit, & visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri parentes, traderent puerum cuidam docto in diuinis pædago, & reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub diuino patre, & saluationis sanctæ susceptore.

*c. 7. eccle.
hier. non
multum
procul
est
sua.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non est baptizatus, ut ipse regeneraretur, sed ut alios regeneraret. Et ideo post baptismum non indiguit pædago tamquam paruulus.

Ad secundum dicendum, quod in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater & mater. Sed ad faciliem partum, & educationem pueri conuenientem, requiritur obstetrix & nutrix, & pædagogus: quorum vicem implet in baptismo ille qui puerum de sacro fonte leuat. Vnde non est de necessitate sacramenti: sed vnus solus potest aliquem baptizare, necessitate imminente.

*alias in
aqua.*

Ad tertium dicendum, quod baptizatus non suscipitur a patrino de sacro fonte, propter imbecillitatem corporalem: sed propter imbecillitatem spiritualem, ut dictum est *.

in co. ap.

ARTIC. VIII.

Vtrum ille, qui aliquem leuat de sacro fonte, teneatur ad eius instructionem?

383

Ad octauum sic proceditur. Videtur, quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte, non obligetur ad eius instructionem. Quia nullus potest instruere, nisi instructus. Sed etiam quidam non instructi, sed simplices admittuntur leuare aliquem de sacro fonte. Ergo ille qui suscipit baptizatum, non obligatur ad eius instructionem.

*inf. q. 71.
a. 1. ad 3
et q. d. 6.
q. 2. a. 2.
q. 3. cor.
et ad 3.*

¶ 2 Præterea, Filius magis potest a patre instrui, quam ab alio extraneo: nam filius habet a patre esse & nutrimentum & disciplinam: ut Philos. dicit

K 2 in 8.

18. ethic. in 8. Ethicor. * Si ergo illi qui suscipit baptizatum, *c. 12. cir.* teneretur eum instruere, magis esset conueniens *me. & c.* quòd pater carnalis filium suum de fonte susciperet, *21 nō lon-* quàm aliquis alius. Quod tamen videtur esse prohibi- *ge à pri-* bitum: vt habetur in decreta. * 30. q. 1. Peruenit, vt *30 q. 1. c.* dictum est †.

& c. Di- ¶ 3 Præterea, Plures magis possunt instruere, *ctum est.* quàm vnus solus. Si ergo ille, qui suscipit aliquem *† a prac.* baptizatum, teneretur eum instruere, magis debe- *loc. cit in* rent plures suscipere, quàm vnus solus: cuius contra- *arg. 2.* rium habetur ex decret. * Leonis Papæ. Non plures, *hoc dictū* inquit, ad suscipiendum de baptismo infantem, *est Aug.* quàm vnus, accedant, siue vir siue mulier.

& seruat SED contra est, quod Aug. † dicit in quodam *de consec.* sermone Paschali, Vos ante omnia tam viros, quàm *dist. 4. c.* mulieres, qui filios in baptismo suscepistis, moneo, vt *204 Vos* vos cognoscatis fidei iussores apud Deum extitisse, *exto oia.* pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere.

Aug. in RESPONDEO dicendum, quòd vnusquisque *serm post* obligatur ad exequendum officium, quod accipit. *Pascha* Dicitur * est autem, quòd ille qui suscipit aliquem *Dom. in-* de sacro fonte, assumit sibi officium pedagogi. Et *cipit, Ho-* ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si neces- *diurna* sitas immineret: sicut eo tempore & loco, in quo ba- *dies. c. 10* ptizati inter infideles nutriuntur. Sed vbi nutriuntur *seruat prac.* inter catholicos Christianos, satis possunt hac cu- *Aug. in* ra excusari, præsumendo, quòd à suis parentibus di- *serm post* ligenter instruantur. Si tamen quocumque modo *Pascha* sentirent contrarium, tenerentur secundum modum, *Dom. in-* salutis spirituum filiorum curam impendere.

c. 7. eccle. Ad primum ergo dicendum, quòd vbi immineret *hier. non* periculum, oporteret esse aliquem doctum in diuinis, *multum* sicut Dionys. * dicit, qui baptizatum de sacro fonte *procul à* susciperet. Sed vbi hoc periculum non imminet, pro- *hu.* pter hoc quòd pueri nutriuntur inter catholicos, ad- *Aug. in* mittuntur quicumque ad hoc officium: quia ea quæ *serm post* pertinent ad Christianam vitam & fidem, publice om- *Pascha* nibus nota sunt. Et tamen ille, qui non est bapti- *Dom. in-* zatus,

zatus, non potest suscipere baptizatum (vt est declaratum in concilio Mogunrino *) licet non baptizatus possit baptizare: quia persona baptizantis est de necessitate sacramenti, non autem persona suscipientis: sicut dictum est *.

* refertur
de cōf. d.
4. c. 101.
In baptis-
mate.
* a. p. r. c. a.

Ad secundum dicendum, quòd sicut est alia generatio spiritualis à carnali, ita etiam debet esse alia disciplina: secundum illud Hebr. 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerbamur eos; non multo magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus? Et ideo alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.

Ad tertium dicendum, quòd confusio esset disciplina, nisi esset vnus principalis instructor. Et ideo in baptismo vnus debet esse principalis susceptor, Alij tamen possunt admitti quasi coadiutores.

QVÆST. LXVIII.

De suscipientibus baptismum, in duodecim articulos diuisa.

Deinde considerandum est de suscipientibus baptismum.

- ¶ Et circa hoc quærentur duodecim.
- ¶ Primo, vtrum omnes teneantur ad suscipiendum baptismum?
- ¶ Secundo, vtrum aliquis possit saluari sine baptismo?
- ¶ Tertio, vtrum baptismus sit differendus?
- ¶ Quarto, vtrum peccatores sint baptizandi.
- ¶ Quinto, vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria?
- ¶ Sexto, vtrum requiratur confessio peccatorum?
- ¶ Septimo, vtrum requiratur intentio ex parte baptizati?
- ¶ Octauo, vtrum requiratur fides?
- ¶ Nono, vtrum pueri sint baptizandi?
- ¶ Decimo, vtrum pueri Iudzorum sint baptizandi inuitis parentibus?